

pavit, seu, ut dicit D. Petrus epist. I cap. III : *His qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit* : sicut sol in visceribus terræ est per effectus mediatos; in isto vero aere per lucem manifestantem præsentiam ejus.

Quod vero additur ex D. Thoma in IV, dist. XLIV dicimus sanctum doctorem non ibi dicere quod prius sit spiritum esse ligatum igni, quam pati ab eo, sed solum dicit quod res corporea habet ex sua natura quod spiritum loco definiat, sed non quod detineat vel alliget illi loco, sed hoc superadditur illi igni, ut est instrumentum divinæ justitiæ, quod sic detinet spiritum, et ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult, et secundum quod vult. Ubi D. Thomas nihil aliud docet, quam doctrinam hucusque traditam.

IX. Denique, ad id quod additur de actione ignis inferni in dæmones existentes in hoc aere non urget : dicimus enim quod ille ignis non est ratio ponendi spiritum in loco per passionem, nisi quando detinet illum apud se, et ligat, ne alibi operetur. Si autem alibi operari permittit, sicut dæmones qui sunt in isto aere, erit quidem illi pœnalis, secundum quod magis vel minus restringit operationem ejus in alio loco, ne juxta voluntatem suam faciant, non tamen est ratio ponendi illum in loco distante, quia non operatur aliquam passionem immediate in eo receptam, sed in loco illo distante ponetur spiritus per operationem, quam ibi exercere permittitur ab igne, qui ex hoc illi pœnalis redditur.

X. Ad secundum exemplum, in quo magnam vim faciunt auctores oppositi, quid scilicet operentur Angeli in cœlo empyreo, dico quod possunt producere aliquam lucem,

aut augere eam, quam illud cœlum habet : nam quod Angeli possint in corporibus lucem producere, affirmat S. Thomas in I dist. XXXVII, qu. III, art. I in corpore, et hoc conveniens est pluribus testimoniis Scripturæ, in quibus dicuntur aliqua loca sensibiliter ab Angelis illuminata, ut Actorum XII : *Angelus Domini assistit, et lumen refulsit in habitaculo carceris* : et Lucæ II : *Angelus Domini stetit juxta illos : et claritas Dei circumfulsit illos*, et Matthæi XXVIII : *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur*. Licet autem possint Angeli producere lucem, non tamen immediate poterunt alias qualitates alterativas producere, v. g. calorem, aut frigus, nisi applicando activa passiva, eo quod lux est qualitas celestis, et magis pertinens ad qualitates intentionales; et ideo congruentius est, ab Angelo produci, quam qualitates elementales. Ex hac autem luce corpus illud cœleste maxime condecoratur : nam si de beatis dicitur Apoc. XXI quod : *Afferent gloriam suam, et honorem in illam*, id est, in civitatem cœlestem, multo magis Angeli luce sua speciali gloriosissimam efficient habitationem illam. Et quia lux illa superioris perfectionis est, etiam conducere poterit ad aliquas influentias cœli empyrei in corpora inferiora, quia licet illud cœlum sit immobile motu locali, tamen aliquid influere in hæc inferiora pertinens ad dignitatem, seu permanentiam, docet S. Thomas I p. qu. LXVI, art. III ad II, retractans oppositum quod tenuerat in II, dist. II, qu. II, art. III. Nec obstat quod cœlum illud non emittit lucem suam ad nos; hoc enim ideo est, quia illud corpus est subtilissimum; lux autem non ejaculatur radios, nisi sit in corpore denso, sicut sunt astra et planetæ, quibus astris caret illud cœlum : tamen nihil obstat quominus illa lux, ut pote corporis ita

nobilis suas occultas qualitates influat in hæc inferiora ad quod plurimum adjuvari poterit a perfectione lucis angelicæ, qua decoratur.

XI. Ad tertium exemplum respondetur non deesse qui existimant animas separatas per seipsas moveri non posse, eo quod circa nullum corpus operari possunt, ut agendo, et movendo illi assistant, et præsentiam acquirant, sed moveri dicuntur, quia portantur ab Angelis; et sic solum passive assistunt in loco, non active, sicut dicitur de anima Lazari Lucæ XVI : *Factum est ut moveretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abraham*. De anima autem Christi, quia certum est secundum fidem descendisse ad inferos, et iterum ascendisse ad sepulcrum, dicunt non fuisse motam naturaliter, nisi ut instrumentum Verbi divini. Quorum fundamentum est, quia anima separata non potest per se movere aliquod corpus, ut docet S. Thomas citata quæstione CXVII, artic. IV, infra : ergo neque potest se movere per modum agentis, seu per modum contactus activi erga corpora, solum ergo movebitur ab alio. Cæterum in libris de anima, qu. LII, articulo ultimo ostendimus hoc non posse stare, sed animam rationalem esse substantiam per se mobilem, quia in separationis statu habet se sicut spiritus, et ad modum spiritus operatur. Est autem inconveniens quod spiritualis, et intellectualis substantia in vi status separationis deterior, et imperfectior reddatur corpore se movente, et ipsa non possit nisi tantum moveri. Frustra etiam daret illi natura appetitum, seu voluntatem circa res absentes, et loco distantes, et privaret illam potentia motiva executiva talis voluntatis; sed deberet expectare, si quis Angelus, vel dæmon vellet illam ferre : quod certe

esset deficientissima providentia in substantia ita nobili. Quod vero habeant voluntatem existendi in loco distante, patet : nam animæ quæ sunt in purgatorio desiderant esse in cœlo, et anima illa divitis petebat ut mitteretur ad se anima Lazari, et ad domum patris sui, et illi respondit Abraham quod : *Chaos magnum firmatum erat inter illa loca, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*. Supponit ergo quod volebant, sed impediabantur. Naturaliter ergo possunt animæ separatæ velle mutare loca : non ergo a natura debet eis denegari potentia loco motiva, seu executiva, quibus concessa est voluntas, cum etiam animalia vilissima quæ appetitum habent, et sensum de re absenti, loco motiva sint, ut dici solet in libris de anima. Hæc et alia ibi ostendimus, et explicavimus S. Thomæ, quod quando negat animabus separatis vim loco motivam, loquitur de illis in ratione formarum, non in quantum operantur, ut spiritus in vi status separationis, ut bene notat, et sentit Cajetanus III p. q. LII, art. II, §. Quoad tertium. Pure cum anima, in quantum forma habeat vim movendi corpus vivificatum a se, in statu separationis habet vim spiritus, ut possit etiam movere corpora non vivificata a se, aut in eis aliquid operari, sicut ad intelligendum accipit species infusas ratione status illius. Quare non est quod negamus animas posse habere contactum virtuales ad corpora, quæ non informant, et movere illa, ac movere se per contactum et assistentiam ad illa, licet multo infirmior sit vis motiva naturalis in anima, quam in Angelo; et præternaturaliter esse poterunt per detentionem, et alligationem passivam, sicut de Angelis dicimus disputatione XXIV. Quid vero in limbo operantur animæ parvulorum, aut quomo-

do ibi sint, respondetur quod si animæ separatæ nihil possunt agere circa se, vel circa corpora, non est dicendum quod sint ibi per aliquam operationem; sed omnino animæ sunt extra locum ex sua natura, dicuntur autem ex divina ordinatione esse in istis, vel illis locis alligatæ, vel receptæ, quatenus ibi Deus aliquid operatur circa illas, aut quatenus vident se proportionem habere cum dignioribus, vel indignioribus locis: nam, ut dicit S. Thomas in additionibus, q. LXIX, a. II ad II: « Quædam animæ cum quibusdam locis magis conveniunt, sicut animæ spiritualiter illuminatæ cum corporibus luminosis, animæ vero obtenebratæ per culpam cum locis tenebrosis. » Si autem animæ separatæ agunt, vel movent aliquod corpus, et seipsas, possunt animæ in limbo aliquem motum exercere circa illa loca, quamvis propter generalem naturæ defectum, quæ est culpa originalis non possunt circa quælibet loca operari, vel motum habere, sed tantum circa illa tenebrosa. Et sic sunt in loco modo spiritualibus substantiis convenienti, ut ibidem dicit S. Thomas ad primum.

XII. Ad quartum exemplum de Angelo existente in vacuo, imprimis quod attinet ad D. Thomam dicimus, quod in illo quodlibet. dicit Angelum posse esse in connexo cœli empyrei, id est, in ultima superficie, ubi adhuc non est vacuum, sed ibi terminatur ultimum corpus, ubi adhuc operari potest, et contactum habere virtutis, atque adeo esse ibi, ut in loco positivo. Si vero demus Angelum totaliter poni extra hunc mundum, aut fuisse productum a Deo ante hunc mundum visibilem, talis Angelus non esset ibi tamquam in loco saltem complete, et juxta modum contactus sui, qui est contactus operativus, unde ubi

nihil est, non tangit, nec alias replet illud vacuum, sicut corpus. Posset tamen habere ibi aliquam præsentiam ordinis, seu in actu primo, quatenus posset formare dictamen de operando in tali, vel tali parte spatii illius vacui determinate, si ibi adesset corpus, ita quod ex vitalis dictaminis, si poneretur corpus, determinate operaretur, et tangeret illud. Nec posset inter duos Angelos in spatio illo positos fundari aliqua distantia positiva, et formalis, quasi inter terminos extensionis, et mensurationis, sed solum daretur distantia negativa, et imaginaria, non fundata super Angelos, sed in ipso spatio imaginario, qualis modo datur, etiamsi ibi Angeli non sint: sicut enim Angelo assistente alicui corpori, non ab ipso Angelo, sed a corpore sumitur distantie mensura, et extensio, ita remoto corpore, et considerato solo spatio imaginario, non ab ipso Angelo, sed a spatio sumitur imaginaria distantia. Quod vero dicitur Angelum posse moveri per vacuum, si agatur de motu continuo positive transeunte per medium, negatur sic posse Angelum moveri, quia non movetur nisi secundum aliquem contactum virtutem, et activum: nec enim repletivum spatii habere potest, activum autem in vacuo non potest exercere, cum ibi nihil sit in quod agat. Secus est de corpore, quod non habet contactum activum, sed repletivum spatii. Unde potest diversas repletiones mutare, et induere propinquitatem, vel distantiam ad aliud corpus, quæ etiam acquiritur per motum. Et ideo remoto omni alio corpore non posset moveri, quia non haberet quid acquireret per motum, ut in dicta quæstione XVII physicorum notavimus. At vero motu non discreto non transeunte per medium, bene posset Angelus existens in vacuo moveri ad corpus distans,

eo modo quo dicemus infra. Et sic non est inconveniens quod secundum motum continuum, minus possit Angelus moveri in vacuo quam corpus, quia nobiliori motu movetur, scilicet per contactum virtutem, non repletivum loci, et illius motus vacuum non est capax, nec tamen manet immobilis, quia motu discreto moveri potest.

XIII. Tertio, arguitur ab inconvenientibus; nam si Angelus existit in loco per operationem transeuntem actualiter operantem: ergo si velit cessare ab omni operatione immutante corpus, ut si pure vellet contemplari, nullibi esset, quod est impossibile, quia res existens in hoc universo, alicubi est, aut in universo non est.

Confirmatur, quia D. Thomas non exigit ad existentiam Angeli in loco operationem proprie operantem in rem extra: dicit enim sufficere quod præsideat loco, etiamsi non moveat locum, ut patet quodlib. I, art. IV, ergo ante operationem transeuntem per solam præsentiam in loco, quæ potest esse per actum immanentem, Angelus existit in loco: ergo non est necesse quod contactus Angeli ad locum sit per operationem erga locum, sed independentem a tali operatione debet dari contactus per aliquam unionem ipsius virtutis ad locum ante operationem in illo, quia semper requiritur conjunctio, et approximatio agentis ad passum antecedenter ad operationem in ipsum passum, et ex ipso passo elicita.

Respondetur nullum debere censeri inconveniens quod Angelus maneat in hoc universo absque omni loco positivo: id enim expresse admittit S. Thomas in I, dist. XXXVII, art. I ad IV: « Hoc inquit non reputo inconveniens quod Angelus sine loco non possit esse, et non in loco, quando nullam operationem circa locum habet, nec est inconveniens,

ut tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur, sicut etiam non est inconveniens, quod nullo colore coloratus esse dicatur; sed tamen hoc non est imaginabile, quia imaginatio continuum non transcendit. » Itaque illud magnum absurdum, quod aliqui reputant quod Angelus possit non esse in loco, est inconveniens imaginationis, non rationis: ratio enim dictat quod substantia pure spiritualis sicut Angelus nullo modo subicitur loco, neque dependet ab illo, aut commensuratur illi, sed potius se habet ut quædam vis activa in illud superior omni corpore; et sic contactus ejus ad corpus debet esse per modum activitatis, et hæc cum operetur ex subiectione ad voluntatem liberam, potest cessare omnino; et sic manebit Angelus sine contactu erga illud corpus, quod est manere sine conjunctione seu præsentia positiva ad corpus, quia hæc per aliquem contactum fit. Sicut etiam Deus si velit destruere omnes creaturas, non erit in loco positive, sed solum in seipso, sicut modo non est positive in spatiis imaginariis, ut latius ostendimus præcedenti tomo, disputatione octava. Angelus ergo si nihil velit operari erga corpus, solum poterit ibi esse præsens præsentia ordinis, id est, in actu primo, et secundum potestatem, et ordinem ad talem locum non secundum applicationem, et contactum in actu secundo. Quando vero dicitur, quod illud quod nullibi est, neque est, intelligitur quando nullibi est, nec formaliter, nec radicaliter, ita quod neque secundum capacitatem ordinetur ad locum. Si autem de se potest esse si velit, et in actu primo, et potestative, est in aliquo loco, sed de facto, et applicate, non vult illum tangere, quia independens est ab illo, non sequitur quod nihil sit ex eo quod alicubi formaliter non sit.

Ad confirmationem respondetur, quod secundum D. Thomam Angelus est in loco, non solum per motionem corporis, sed quocumque modo operetur in illo, vel uniatur illi, aut præsideat illi: sed tamen si præsideat sine aliqua operatione erga corpus, qua tangit illud, solum habebit præsentiam ordinis, et in actu primo, quæ pertinet ad illud dictamen practicum quo Angelus ordinat se erga aliquem locum. Si autem præsideat operando aliquid applicate, et in exercitio erga locum, erit in illo per positivum contactum et præsentiam formalem; et similiter si uniatur illi unione aliqua passiva, per quam existit modo præternaturali in loco. Et ad id quod dicitur de approximatione, seu conjunctione ad locum antecederet ad operationem jam supra diximus, eadem operatione Angelum posse se applicare, et tangere locum et operari effectum ex illo, et in illo. Quod habet Angelus propter eminentiam suam, et superioritatem erga corpus ad quod non habet contactum, nisi per modum virtutis activæ, non subjectæ corpori, neque dependentis ab illo, ita ut prius indigeat illi commensurari, et applicari quam operari. Itaque conjunctio, et applicatio agentis ad passum tunc antecedit operationem ejus, quando fit per commensurationem, et coaptationem quantitativam agentis cum passo, et tunc sequitur operatio, quando vero agens est omnino superius ad passum, ita quod non indiget illi commensurari per quantitatem, tunc non prius unitur quam operetur, sed ipsa operatione, subjicit sibi passum, et ex illo elicit effectum.

XIV. Ultimo arguitur contra ultimam conclusionem, quia Angeli possunt fundare distantiam, et propinquitatem, etiam ratione sui: ergo non solum habent ubi, et præsen-

tiam per modum actionis aut passionis, sed per modum distantiae aut indistantiæ. Antecedens probatur: nam si sint duo Angeli, alter in cælo, alter in inferno, plus distant, quam duo existentes in aere, et non solum ratione corporum, cum ipsi independentes sint a corpore: ergo per seipsos. Cujus etiam signum est, quia si Angelis sic existentibus annihilarentur omnia corpora, magis distantes manerent Angeli, qui antea erant in cælo, et in inferno, quam qui erant in aere: ergo ratione sui capaces sunt hujus distantiae, alias non posset Deus destruere corpora, nisi destrueret Angelorum ubi et præsentiam.

Confirmatur, quia si Angeli ponerentur a Deo extra totum mundum visibilem, vel crearentur ante mundum visibilem, non essent substantiæ immobiles, alias dependerent in motu a natura corporea. Si autem moverentur, aliquid deberent acquirere per motum, quod non posset esse nisi aliqua distantia, vel propinquitas: ergo sunt capaces ubi distantialis.

Respondetur Angelos illos non fundare distantiam in se immediante, sed mediante corpore, aut spatio in quo sunt, quia sicut in se positionem non habent in loco, ita neque distantiam, aut propinquitatem, quæ positionem aliquam, seu situationem importat. Solum ergo ratione corporis, cui assistunt, distantiam fundare possunt positivam, et formalem, vel ratione spatii distantiam imaginariam. Et hoc modo dicerentur magis distantes Angeli, qui sunt in cælo, et inferno, quam qui sunt in aere. Si autem annihilarentur omnia illa corpora interjacentia, non manerent illi Angeli distantes, vel propinqui positiva distantia, sed negativa, ratione spatii vacui, seu imaginarii, quod maneret, ratione autem sui unus Angelus

non distat, neque indistat ab alio, sicut Angelus se extendens ad totam suam sphaeram non dicitur secundum unam partem, qua correspondet multis partibus sine positione ad partes, sicut anima existens in pede non distat a seipsa ut existente in capite, cum tamen pars unius, et ejusdem corporis distet ab alia, sic duo spiritus non sunt capaces distandi inter se ratione sui, sed ratione corporis quod tangunt, vel spatii in quo remanent, non quia ipsi dependeant a loco, ut sint, sed ut tangentes sint, quia non possunt contactum habere, si nihil tangunt.

Ad confirmationem respondetur, quod Angeli extra omne corpus positi non sunt mobiles motu contactus virtualis, et consequenter, nec possunt acquirere ubi ob defectum materiæ, circa quam sit contactus, sicut si non essent corpora, animæ non essent informantes, nec modo informativo ob defectum materiæ. Posset tamen unus Angelus tunc agere in alium actione morali, vel illuminativa, et ex consequenti detinere illum per imperium practicum formando, et excitando in illo tam vehemens dictamen per imperium suum, ut non auderet, vel non posset inferior Angelus moveri ex defectu dictaminis ad se movendum, impeditus ex imperio alterius.

ARTICULUS III.

Utrum repugnet Angelum esse in pluribus locis, vel plures in uno?

Sub hoc titulo comprehendimus omnes difficultates, quæ pertinent ad modum quo Angelus existit in loco, quæ reducuntur ad quatuor.

Prima, utrum Angelus ita sit in loco quod possit modo esse in majori, modo in minori pro sua voluntate, an vero habeat modum uniformem essendi in loco, ita quod semper eodem modo in loco sit, sicut corpus, quod ratione quantitatis commensuratur loco, non potest prohibito collocari, modo in majori, modo in minori, nisi juxta intensiorem quantitatis.

Secunda, utrum Angelis possit simul esse in diversis locis adæquatis.

Tertia, utrum saltem in pluribus inadæquatis esse possit intra eandem, videlicet sphaeram suæ virtutis.

Quarta, an plures possint esse in eodem loco, an vero repugnet pluribus Angelis identitas loci, sicut pluribus corporibus.

ANGELUS POTEST ESSE IN MAJORI, VEL MINORI LOCO INTRA EAMDEM SPHÆRAM.

I. Communis theologorum sententia est, Angelum intra sphaeram suæ virtutis non coarctari ad existendum in loco determinato, sed posse esse in majori, licet Vasquez in præsentia disputatione cxci, cap. i ex Gregorio referat opinionem cujusdam Hibernici in i, distinct. viii, quæst. ii, qui dicebat Angelum ita postulare sibi determinatum locum, ut neque in majori, neque in minori esse posset: imo dicebat locum Angeli esse circularis figuræ. Quod si Angelus aliquando assumit corpus minoris quantitatis quam possit, dicebat substantiam illius, aliqua ex parte esse extra tale corpus. Et eandem sententiam tribuit Bassoli in ii, dist. ii, quæst. iv, art. i, præsertim in solutionibus argumentorum; Scotus vero in ii, distinct. ii, quæst. vi, §. De isto articulo dixit Angelum ha-